



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

**Ribadeneyra, Pedro de
Coloniæ Agrippinæ, 1602**

De fidei Christianæ apud Indos propagatione. XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

delicet, quòd religiosi alij, qui eas vi-
 & doctrina illustrabant, vel omnino
 defecerint, vel pauci admodum (&)
 quidem prostrati, debilitati & confu-
 sti) reliqui sint, necessariò Societas
 hanc prouinciam cepit, vt tantas Ec-
 clesiae ruinas pro sua tenuitate resarci-
 ret, & hæreticos hostiliter irrumpentes
 comprimeret: ne exultare in mædacio-
 & imprudentibus atque simplicibus tri-
 umphum agere de veritate atque reli-
 gione videantur. Porro qua ratione
 hoc Societas præstet, & quo fructu in
 nonnullis huius historiae libris, sum-
 matim legere deinceps licebit.

DE FIDEI CHRISTIANAE
apud Indos propagatione.

CAPVT XIX.

ET hæc quidem ad coërcendos at-
 que frænandos hæreticos perti-
 nent, & ad sanctissimæ nostræ fi-
 dei conseruationem. Iam quæ ad eius-
 dem fidei propagationem atque am-
 plificationem attinent (quæ sanè non
 est minus vel necessaria, vel admirabi-
 lis) hoc capite si placet persequamur.
 In quam quidem propagationem si
 cul

oculos intēdas, magna te admiratio capiet, infinitam sapientiam Dei, atque prouidentiam hac in re perspiciētem: magna rursus grati animi pietas, inexhaustos illius misericordiæ thesauros considerantem. Nam mhi quidē certē pro miraculo est, noui orbis patefactio ab nostris hominibus inuenti; idemq; dubio procul iudicabit, qui attentē apud se expēderit. Primum, quot sæcula fluxerūt, ex quo primū contrahendarum rerū vsus esse cœpit intergentes commerciūq; ex nauigandi facilitate, & cōmeandi in alias Prouincias oportunitate. Deinde quā curiosē clarissimi olim Reges, atque potentissimi, Prouincias atque Regionē occultas indagauerint, easque suo imperio subiiciendas curauerint: tum quā incenso studio, atque exquisita diligentia viri literatissimi, & Cosmographi præstātissimi, in eam curam incubuerit, ut orbis terrarum omnes partes percenserent, diuiderent, distinguerent, nobisq; depictas atq; expressas ante oculos ponerent. Postremò mortalium insatiabilē auri & argenti cupiditatem, atq; opum immensā sitim, qua inflammatus, Impiger extremos currit mercator ad Indos. Per mare

K

pau-

pauperiem fugiēs, per saxa, per ignes.
 Hæc inquam, si quis rectè apud se at-
 que diligenter consideret, admirabi-
 tur profectò arcanum Dei consilium,
 qui rem tantam tamdiu occultauit, &
 nostro sæculo Prouincias innumera-
 biles, Regna potentissima, Resp. nobi-
 lissimas, maria immensa, regiones
 inauditas, oras terrarum latissimas,
 orbem denique quodammodo alterū
 nobis patefecit, plenissimum, refertis-
 simum auri, argenti, gemmarum, aro-
 matum, odoramentorum, rerum om-
 nium incredibili copia cumularissi-
 mum. Tanta enim est rerum ad nos
 ex nouis regionibus aduectarum vis,
 varietas, pulchritudo, salubritas, preti-
 um, vt omnium fidem excedat. Atque
 magis admirabitur, si quis vestigia
 noui orbis, & quasi indicia quedam
 apud veteres scriptores legat. Nam &
 in Platone sub Atlantis nomine, ali-
 qua (licet obscura) illius fit mentio: &
 apertè apud Fragicum Senecam, illi-
 In Medea. versibus: Venient annis sæcula feris
 quibus Oceanus vincula rerum laxet
 & ingens pateat tellus, Typhisque
 nouos detegat orbis, nec sit terra
 vltima Thyle. Quib⁹ quasi spiritu po-
 rrico afflat⁹, futura pronūtiasse, quibus
 de

In Timæo,

in Critias.

In Medea.

Nam visus est. Et Carthaginenses inco-
 gnitarum regionum notitiam aliquā
 habuerūt, & insulā quandam remotā,
 desertam, fertilem inuenerunt: & Pho-
 ceenses Gadiū incolæ, ex freto Hercu-
 leo egressi, vento Euro secūdissimè na-
 uigantes, ad nouas terras appulsi sunt,
 quemadmodum ab Aristotele me-
 moriæ proditum est. Et Strabo ex
 Heraclide Pontico narrat. Eudoxi-
 um quendam ex Gadibus in Indiam
 nauigātem, in Aethiopiā peruenit.
 Neque delunt qui scribant in India
 quæ ad Occidentem est, Augusti Cæsa-
 ris effigiem in auri venis repertam,
 & Romam, ad comprobandam rei ve-
 ritatem, summo Pontifici missam fuisse.
 Sed hæc atq; alia eiusdem generis
 argumenta, leuia atq; incerta sunt. Il-
 lud certissimum, Deum (cuius iudicia
 sunt occulta, cuius consilia nulla ratio-
 ne possunt inuestigari) hoc tantū mira-
 culum nostris temporibus reseruasse.
 Tum quod Christiani Imperij fines,
 Turcarū potentia, atque tyrannis im-
 pendio, quotidie magis contrahebatur:
 tum quod hæreticorum furor Catho-
 licam religionem magis ac magis
 indies deuastabat: tum quod hoc maxi-
 mum beneficium Hispaniæ proprium

voluit esse: vt ex ea videlicet primi illi
 explorandi nouas Prouincias autores
 prodirent: & inuictis potentissimo-
 rum atque felicissimorum Castellæ ac
 Portugalliæ Regum armis, nouus hic
 orbis nobis innotesceret, & Christi iu-
 gum domitus subiret. Qui nauigatio-
 nē in Indiā, quæ orientem Solem spe-
 ctat, primus tētauit, Henricus Ioannis
 primi Portugalliæ Regis filius fuisse
 dicitur. Qui vir cūm eruditus esset, &
 motus cæli, & Planetarum cursus, &
 Geographiæ scientia præstans, totum
 se rerum naturalium studio dedit: &
 multam in exquirendis atque inuesti-
 gandis naturæ arcanis operam posuit,
 Qua ex indagatione, paulatim sensim-
 que in eam opinionem adductus est,
 vt ex Lusitania in Indiā nauigari pos-
 se crederet. Ad faciendum eius rei pe-
 riculum, naues ornatissimas suis sum-
 ptrib. misit, & homines peritos, qui A-
 fricę oras explorarunt, maris Atlantici
 insulas nonnullas incognitas repe-
 runt, fidem Christi annunciarunt indi-
 stria, Matera insula, & aliquot aliæ no-
 tæ nostris hominib. esse cœperunt: mul-
 tique populi ad oras eius maris in Occi-
 dentali Aethiopia degētes, Christiani
 rel.

religione exculti sunt. Hoc autem præclarum inceptum, & tanti Principis excellentia dignissimū (in quo ad mortē vsq; perseveravit, & vitā Henricus omnem consumpsit.) Ioannes postea r. Emanuel, & Ioannes r. Lusitanicæ Reges felicissimè prosequuti sunt: & classes suas fortissimis plenas militib; rebusque omnibus ad nauigandum instructas, in Brasiliam Angolam, Cōgum, Monomotapam, Guineam, Aethiopiam, Sinum Persicum, Dio, Calicut, Goam, Malacam, Sinas, Iaponem, aliasque remotissimas prouincias, ingenti ausu ac felicitate miserunt. Quæ quidem Oceani immensitatem nouis atque inusitatis nauigationibus transmiserunt: ad gentes immanes, & barbaras penetrarunt, easque vel consuetudine ac beneuolentia ad amicitiam allexerunt, vel virtute & armis subegerunt, maxima Dei benignitate. Nam Lusitanos Deus ita roborauit, atq; cælesti gratia protexit & cōmuniuit, ut ipsi sæpenumero, parua manu, innumerales barbarorum copias funderent: & prædicationi Euangelij obstructam atque interclusam ferro ac virtute viam aperirent: & populos incultos & cæcos ad Euangelij splendorem addu-

adducerent. Itaque magno, inusitato, atq; inaudito miraculo, domi nostræ, Iaponios generis nobilitate imprimis illustres iuvenes vidimus, qui sacri baptismatis loti fonte, & Christianis sacerdotibus initiati, patrias sedes, amicorum familiaritates, parentum consuetudinem, & ciuium suorum, quibuscū sanguine ac necessitudine sunt cōiuncti, beneuolentiam Christi amori posthabentes, ex Iapone in Hispaniam vsq; anno salutis nostræ 1584. nauigarunt, immensis perfuncti laboribus atq; periculis. Hi enim sequuti Societatis Iesu Patres, à quibus ad fidem & omnē probitatem ab infantia sunt educati, Romam ipsam quasi ad nostræ religionis arcem profecti sunt: vt summum in ea Pontificem, Christi Vicarium, Petri successorem, coram agnoscerēt, colerent, venerarentur: eiq; suo, & Būggi, & Arimæ, & Fiungi Regum consanguineorum suorum nomine, quasi Primitiæ Iaponēsium Christianorum (qui sanè sunt innumerabiles ab Ignatii discipulis ad fidem conuersi) debitę obedientiæ munus offererēt. Quos Gregorius XIII Pontifex Max. prudentissimus, admirabili beneuolentia com-
ple

plexus, omnique humanitatis atq; pietatis officio, ingenti totius orbis congratulatione, prosequitur est. Existimavit enim sanctissimus Pastor, ad magnam Dei gloriam, atq; adeo ad suam pertinere (neq; id iniuria) se Pōt. fice, Christianū Imperiū, non alijs quā orbis terrarum finib. circūscriptū: & ad novas & incognitas nationes, & ex omnium hominū memoria hacten⁹ inauditas, sic diffusum ac propagatum, ut per immensos mariū atque terrarū tractus, oves illæ, quæ non erant in hoc ovili, pastorem suum quærentes, vocē eius audirent, & in illo omnium pastorū Principem adorarent, fieretq; vnum ovile & vnus pastor. Hæc ad orientis Solis pertinent Indiā. Ad occasum verò Ferdinandus atque Elisabetha Castellæ Reges clarissimi, Christophoro Columbo Liguræ Duce, classes suas ad conquiendas, suoq; imperio subiiciendas novas prouincias miserunt. Et Carolus v. Cæsar Augustus, eorum ex filia nepos, & Philippus Caroli filius, præclara maiorum cœpta vehementius auxerunt: & vsque adeo Hispanici imperij fines propagarunt, ut terra nuper reperta, & magna ex parte inuictis Castellorum armis perdo-

mita (si per orā maritimam, & sinuosos anfract^{us} circumlegatur) nouē mille leucas colligat, vt à nōnullis peritis scriptoribus literis traditum est. Et tamen circuitus orbis, atque ambitus septem millia tantum, & quingentas leucas continet, si Ptolomæo credim^{us}, si Alphragano etiam pauciores, si Fernelio paulò plures. Neoterici verò astrorum curiosi inuestigatores, & nauigandi peritissimi, 6360. leucas tantum modo numerant, cui libet cęli gradui 53. passuum millibus in terra attributis, hoc est 18. fermè leucis, si quęlibet leuca communis Castellana, tria passuum millia comprehendat. Acciditque nostro sæculo alterū miraculū, nouum item planè atque inauditum, quodque nihil minus habeat vel admirationis, vel stuporis, quàm quod paulò antea de legatione Iaponica dixim^{us}. Nauis enim è classe Castellæ Regum, Ioanne Sebastiano Cano Cantabro gubernatore, vniuersum orbis terrarum ambitum circūlegit, & incolūmis Hispalim (vnde soluerat reuersa) meritò sanè Victoria appellata est. Vt Dei Opt. Max. maximū in nos beneficium agnoscas, qui quidem, vt tantihoni autor effectorque fuit, sic in ipsū
laus

laus omnis, atque excellentissimi operis gloria, est omnino referenda. Ipse enim rem maturavit, oportunitatem inuenit, Catholicos Reges permouit, ut profligato iam, seu potius confecto diurno, graui, periculoso bello Granatensi, & seruitutis signominiosæ & acerbissimæ (quam 800 ferme annos Hispaniæ nationes pertulerant) iugo depulso, & Christiani nominis dignitate in pristinum splendorem quasi postliminio restituta, alijs bellicis curis expediti, rem tantam animo conciperent, spe aggredèrentur, summa felicitate cõficerent. Adde, quòd ad patefaciendum nouum hunc orbem, atq; armis subigendum, eos administratos adhibuit Deus, quorum siue paucitatem, siue animi virtutes, atq; fortunæ ornamenta consideres, intelliges profectò, non humanis viribus, sed summi atq; sapientissimi moderatoris voluntate, tot tantasque Prouincias ad Hispanum imperiũ aggregatas. Quod multo etiam magis eminet, atque exat illustrius, ex ipso cursu, atque ex vberissimo atq; copiosissimo fructu, quem ad mortalium salutem Deus ipse immortalis collegit. Quis enim posset enumerando per censere nationes multitudine

Innumerabiles, locis infinitas, immen-
 sitate barbaras, impietate idololatrias,
 natura caecas, vitijs omnibus corru-
 ptissimas, ab omni humanitatis sensu
 tam abhorrentes, vt innocentes ma-
 ctarent filios, & quasi praeciosas victi-
 mas Dijs suis offerrent: denique quae-
 damonē ipsū pro Deo coleret, cū illo
 saepe familiariter loqueretur, ad ei⁹ ar-
 bitriū viueret: ita esse ab errore ad ve-
 ritatē ab umbra mortis ad vitæ lucē,
 miserrima seruitute, ad gloriosā ani-
 morū libertatē reuocatas, vt Christus
 Deum ac Dominū nostrum, Redem-
 ptorem agnoscerent, feritatem exue-
 rent, idola comminuerent, templa dia-
 bolo dicata vel cuerterent, vel in veri-
 Dei cultum cōuerterent, & vitā dignā
 homine, dignam fide, dignam Chri-
 stiano pectore viuere inciperent: Quae
 tamen omnia nostro saeculo Catho-
 licorum Regum opera diuinitus effe-
 cta sunt. Hoc igitur tempore tam op-
 portuno, tam necessario, admirabili
 planē diuino consilio, Deus nostrum
 elegit Ignatium, vt crucis trophaeum
 in disiunctissimas terras atque Prouin-
 cias inferret, & gentes infinitas, agri-
 ces, ac barbaras, depulsis ignorantie

que infidelitatis tenebris, Euangelij clarissima luce, per filios suos, collustraret. Vt Lutheri falsi prophetæ, ac veri impostoris discipuli, dentibus suis frendant & tabescant, quod quando ipsi apud nos tam furiosè debacchantur, & diuina atq; humana iura omnia violant, fana diripiunt, monasteria incendunt, crucès Christi demoliuntur, Sacramenta euertunt, à beatissimo Romano Pontifice se segregant, ac deficiunt: eodem ipso tempore in alijs lōgè plurimis atque maximis regionibus, noua templà vero Deo aedificantur, crucis vexillū in omnium populorum salutem extollitur, sacrosancta virent Sacramenta, Pontifex Romanus Christi Vicarius agnoscitur, & adoratur, Denique hæc ipsa Catholica religio, quam ipsi tantopere extinctam cupiunt, ab ortu Solis ad occasum, ab Aquilone ad mare prædicatur, viget, efflorescit. Et Deus ipse qui in Europa tam multas, tamq; acerbis ab hæreticis continenter perfert contumelias atq; opprobria: in nouo orbe, hoc ipso tempore multa, magna, testata, admirabilia opera perfecit. Constatque ad præsentiam Christi Domini nostri corporis in tēplis collocati, demones obmutuisse;

misse, aufugisse. neque deinceps appa-
 ruisse, aut cū idololatriis (vt solēbāt) fu-
 isse locutos: plurimosq; mortales va-
 riijs atque insānabilibus morbis op-
 pressos, sanctissimæ crucis contactu, a-
 quæ sacræ aspersione, piacularib⁹ gra-
 nis admotis, ab omni egritudine libe-
 ratos. Alios quod irreuerētur minus-
 que honestē in Ecclesia, vbi Eucharis-
 tia erat, se gessissent, multis incommo-
 dis, ijsque grauissimis à Deo fuisse af-
 fectos, multa que alia literis consigna-
 ta sunt, quæ Deus effecit, tum vt hære-
 ticos nostri temporis (si vllam adhuc
 habent partem sensus) ad sanio-
 rem mentem reuocaret, tum vt gentes cæ-
 cas ad veri luminis cognitionē addu-
 ceret. Ea quòd infinita penè sint, neq;
 huius narrationis propria, silentio præ-
 termitto: ex vtriusq; Indiæ historijs pe-
 rat licebit, si quis eiusmodi rerum vber-
 riorē cognitionem desiderat. Quan-
 quam autem Deus Opt. Max alias for-
 tissimorum militum copias, ad præ-
 clarissimam hæ Indorum expeditionē
 antea misit, & in eā sanctissimi multi
 viri aliorum Ordinū, omnibus virib⁹,
 totoque pectore incumbunt: tamen
 tam latè patet hic campus, tam spacio-
 sa, deserta, inculta. vinea hæc est
 sam

tam horrida aspectu, feris fremētibus plena, vitiorum monstris efferata, ut pluribus adhuc cultoribus indigeat. Adde quod militibus aut obsessis, aut acriter pœliantibus, noua auxilia magnos animos addūt, magnos sæpè adiumento sunt. Quæ quidem de India ad Occidentem, quæ Castellæ Regibus patet, potissimum dicta sint: in qua magna scilicet sacrorum hominū vis est, eas regiones excolētium. Nam in Orientali India minor est operariū copia, tum quod Lusitanoyam navigatio longior est ac periculosior: tum quod bellum cum multis, varijs, potētissimis Regibus continenter gerendū sit, anceps, dubium, ac innumeris plenum difficultatibus: tum quod ea de causa Lusitaniæ Reges à mari remota, atque terræ intima loca imperio suo nōdum subiecerint, nec tot sacrorum hominum conuentus constituerint, quot ad innumerabiles populos à tenebris infidelitatis, ad fidei lumen traducēdos sunt necessarij. Quamobrem in Brassilia, insulis Malucis, Iapone, alijsque latissimis atque remotissimis Oriētis regionibus, nulli fermè ex alijs regionibus homines sunt, qui propagandæ fidei Christianæ prouinciam,

& animatum procurationem suscep-
 rint, præterquam Ignatij filij. Quæ qui-
 dem Ignatium, admirabili providentiâ
 Deus (vt diximus) per opportuno tem-
 pore elegit, atque Ecclesiæ suæ acrem
 defensor em constituit. Neque poterit
 sanè quisquã de diuino consilio dubi-
 tare, qui Societatis ab ipso Ignatio per
 vniuersum terrarum orbem dissemi-
 natæ fructus atque utilitates pruden-
 ter expendit: quiq; ardens quoddam
 atque incensum vitam pro Christo
 profundendi & sanguinem, nostrorũ
 desiderium perspexerit: & vel assidu-
 as, vt in longinquas & barbãres na-
 tiones mittantur, preces; vel alacrem,
 cùm sponte à Præpositis mittuntur, o-
 bedientiam, quo mortem pro fidei
 amplificatione oppetendi præclaram
 occasionem, nanciscantur. Non enim
 satis habent, vita & doctrina aut furẽ-
 tibus hæreticis sese obijcere, aut mor-
 tificationem D.N. Iesu Christi semper
 in corpore suo circumferre, vt infide-
 les salutem ac vitam consequantur.
 Sed cùm intelligant nullum magni-
 ficentius atq; illustrius ab hominibus
 Euangelio tribui posse testimonium,
 quàm si pro illius veritate sanguinem
 ipsum profundant, omni ratione fa-
 ciant.

ciendum sibi putant, vt pro illo vitam
potissimum reddant, qui vitam suam
pro nobis omnibus in cruce obtulit
Patri. Septuaginta septē Patres ac fra-
tres nostri (quod ego quidem sciam)
ab hæreticis & Gentilibus pro Christi
fide interempti sunt ad annum vsque
1585 quo hæc scribimus Ex ijs 24. va-
rijs in locis, ac temporibus ab infide-
libus, vel Mahumetanis, vel Gentili-
bus, exquisitis tormentorum generi-
bus occisi sunt. Quorum Dux ac Prin-
ceps Pater Antonius Criminalis fuit,
qui à Badegis, ad Cauri promōtorium
orās, & in genua procumbēs, oculis ac
manibus sublatis in cælum, telis trāsfi-
xus est, anno salutis nostrę 1549. Quo
eodē anno & loco, Pater Alfonsus Mé-
dez capite cæsus, martyrij gloriam est
assequutus. In Brassilæa Prouincia, Pe-
trus Correa, & Ioannes Sosa nostrę
Societatis fratres, anno 1554. à Cari-
bæis hominibus feris ac barbaris, sa-
gittis orantes cōfixi ac perempti sunt.
Eodem ipso anno, alius ex nostris Pa-
tribus in Orientis Solis India, pri-
mum quidem semiustus, postea etiam
veneno sublatus est. Apud Malucas
verò insulas, anno Domini 1558. à
Mahumetanis P. Alphonsus à Ca-
stro

stro

stro tractus, raptatus per aspera loca,
 ac præcipitatus est. Quid dicam de Pa-
 tre Gonsaluo Sylucira, viro cum gene-
 re, tum sanctitate nobilissimo? qui cū
 Monomotapæ Regem ad Christi fidē
 conuerrisset, illius præuaricantis in-
 sidii, & peruersorum hominum consi-
 lijs inducti, Domini nostri Iesu Chri-
 sti in cruce pendentis effigiem mani-
 bus tenens, fune in collum eius inie-
 cto tractus, & crudelissimo mortis ge-
 ner. (quam ipsemet prædixerat) neca-
 tus est, anno 1561. P. Franciscus Lopes,
 & alij duo fratres nostri Cochino Go-
 am iter habentes, à Mauris, Christiani
 nominis inimicissimis, intercepti, te-
 lis transuerberati perierunt anno Do-
 mini 1567. In ea Occidua Indiarum parte,
 quæ Florida nuncupatur, tres Patres,
 Societates Iesu filij, Petrus Martines,
 Baptista Segura, Ludouicus Quiros, ac
 sex alij fratres ad prædicandū Christi fi-
 dem in eas oras profecti, à sanguina-
 rijs illis hominibus trucidati sunt. At-
 que omnium nouissimi anno 1583. in
 Salsetana regione, quæ à Goa ciuitate
 atque insula streto tantūm disuncta est,
 quinque alij eandem martyrij palmā
 sunt adepti. In quorum numero fuit P.
 Rodolphus Aqua viua Ducis Atrij,
 Clau.

Claudij Aquæ viæ Societatis nostræ
Præpositi Generalis fratris filius, &
Cardinalis Aquæ viæ germanus fra-
ter. Alij 53. hæreticorum odio & cru-
delitate felices euaserunt, & summam
erga se diuini amoris benevolentiam
experti sunt: nam vnus & quinquagin-
ta, quòd ad Catholicam, Apostolicā,
atque Romanam fidem gentibus nū-
ciandam nauigarent, capti ab hæreti-
cis, atque dirè interfecti sunt. Horum
omnium antesignatus P. Ignatius A-
zebedo fuit, vir non tam maiorum
sanguine, quam suo pro Christo fuso
clarissimus. Qui cum in Prouinciam
Brassiliam nauigaret, vt in ea Præpo-
siti Prouincialis, & præconis Euange-
lici munere fungeretur, à pyratibus Gal-
lis Calvinistis, Duce Iacobo Soria, ca-
ptus, odio sanctissimæ fidei Catholi-
cæ ipse atq; alij 38. Societatis filij, eius-
dem propositi socij & pietatis comi-
tes, non vno mortis genere, sed vno
tamen spiritu omnes absumpti sunt
anno 1570. Quos pari fide, constantia,
& felicitate, insequenti anno imitati
sunt 12. alij, qui P. Petro Diaz Duce,
cum eadem nauigationem & causam
suscepissent, à Ioanne Claudio Hugo-
notto Gallo, extremo supplicio affecti
sunt.

sunt. Nec sanè defuerunt fortissimi milites, qui quòd Catholicam fidem mordicus tenerent, acriter defenderent, sapienter docerent, ab ipsis hæreticis, quos sanare cupiebant, mirum in modum prius excruciat, atque immatissimis tormentis dilacerati, beatissimo exitu gloriosam de perfidia victoriam reportarunt. Eiusmodi fuerunt clarissimi Christi martyres Edmundus Campianus, & Thomas Cotnamus Angli, Societatis Iesu illustrissimi filij, qui anno 1581. & 1582. pro Apostolica atque Romana fide ab Elisabetha Angliæ Regina atrociter mactati sunt. Quamobrem, quis non admiretur consilium Dei? Quis non suspiciat illius providentiam? Quis immensam erga mortales charitatem non redamerit in finitam benignitatem gratissimi animi pietate incolat: laudibus efferat? obsequijs veneretur? qui minimæ huic Societati & martyrum præsidia dedit, & ornamenta? Nimirum ut hoc etiam argumento intelligamus, familiam Ignatii, familiam Dei esse: non secus atque reliquos sacerorum hominum coetus, quos in Catholica Ecclesia alij sanctissimi Patriarchæ diuinit

instituerunt ac fundarunt. Qui quidem religiosi cœtus viris abundant perfectissimis, qui omnibus tormentis corpora sua obiecerunt, læti denique atque alacres, se dilaniari atque occidi pro CHRISTI nomine passi sunt: neque hoc præteritis tantummodo sæculis, sed etiam nostro. Testes sunt strenui Christi athletæ Carthusiani, qui propterea quod vnum Ecclesiæ Catholicæ, ac supremum caput Vicarium Christi esse defenderent, ab Henrico octavo Angliæ Rege raptati, suspensi, exemterati, membratim dissecti, elixi, in stipitem ad ignominiam (quæ vera ipsis gloria fuit) sempiternam sublati sunt. Testes sunt etiam multi alij sanctissimorum Dominici, Francisci & aliorum beatorum virorum filij: qui eandem coronam nostra græte sunt adepti in Gallia: sarore hæreticorum, qui noui sunt Nerones, Domiciani, Maximini. Benedictus igitur Deus, & gloriosus in sæcula, qui munitissima religionum propugnacula in Ecclesia sua excitauit: atque eiusmodi militum in eis præsidia constituit, qui acerrimè dimicantes occumbunt: & de impietate, vitæ innocentiâ; de hæresi, fidei iuste

integritate; de morte, ceruicibus datis
denique de terribilibus hostibus, fu-
pro Euangelio ac veritate sanguinis
amplissimè atq; honestissimè trium-
phant. Neque enim fieri potest, quin
ijs Ducibus, ac fortissimis militibus,
sancta Ecclesia omnes contra se perfr-
dia atq; feritate instructas acies (quod
semper haectenus fecit) profliget ac dis-
siperet, atque hostes suos audacia elato
retundat, & tumore inflatos comp-
mat: & vel obfirmatos, & in prauita-
suapertinaces despiciat, vel humiles
suumque errorem agnoscentes, beni-
gnè suscipiat.

VITAE IGNA-

TII LOIOLAE,

LIBER TERTIVS.

IGNATIVS PRAEPOSITVS

Generalis eligitur.

CAPVT PRIMVM.



OCIETATE à Pau-
lo III. Pont. Max. con-
firmata, nihil Patre
prius habuerunt, quan-
vt Praepositum crea-
cum, qui vniuersæ S-
ci